

DE MONSTROSO  
PARTV: DIE XVIII. AVG.

Anno 1595. in districtu Aschera-  
densi, Livoniae UltraDunensis in lucem  
edito: & de rebus quæ præter natu-  
ræ ordinem fiunt

DISCURSVS  
Ethicus, Physicus, Historicus.  
AUTORE  
DANIELE HERMANNO BORVSSO.



RIGÆ:  
In Officina Nicolai Mollini.  
Anno M. D. XCVI.

IN SIGNIA ANTIQVISSIMÆ CIVITATIS  
Rigensis, Metropolis Livoniæ.



Cum neq; Dogma Dei, neq; se Livonia nosset,  
Inq; sui hanc traheret Christus ovile gregis:  
Accessus primus fuit alta per aquora, flumen—  
In Dunam, Et tractum, RIGA vetusta, tuum.  
Transversæ hinc claves portam supra altius extant:  
Prima via hoc portu quod reserata fuit.  
Seu dedit has claves Papa: seu via prima reclusa:  
Utraq; origo sua non ratione caret.  
Dum tamen hanc terrā primi intravere Bremenses,  
Fertur ab illorum Stemmate Stemma datum.  
Post, quia successit Crucis Ordo, hanc auxit ET Urbē,  
Creditur in Clypei vertice, Crux posita.  
Sanguinens Clypei color est. Nam sanguine, Et arc,  
Hanc Urbem, Civis constituere suo.

Dan. Herm.

AD ILLVST. MAGN. ET GENE-  
rosos Dominos, trium Præsidatum in Livonia,  
VVendensis, Dorpatensis, Pernaviensis, Præsides :  
nec non Arcium in eadem Provincia Capitaneos,  
& uniuersam trium nationum Nobilitatem :  
tum & Spectabiles, Nobiles, Clarissi-  
mos, & Prudentissimos Civitatis  
Rigenis Metropolis Livoniæ,  
& aliarum Civitatum  
Magistratus

P R æ F A T I O.

*Illust. Magn. Generosi Domini : Spectabiles,  
Nobiles, Clarissimi, & Prudentissimi viri,*

**M**ONSTRa à monstrando dicta sunt: quòd  
cùm præter ordinem naturæ fiant, & ad-  
mirationem pariant, aliquid futuri præ-  
monstrare videantur. Cùm enim Deus omnipo-  
tent omnibus animalibus formam propriam, in pri-  
ma creatione, cuilibet sigillatim impresserit: inpri-  
mis verò hominem, ut in cælo Creatorem suum o-  
culis intueretur, omnibus membris ad erectum  
corporis statum compositis (quod reliquis animali-  
bus omnibus quæ prona sunt, denegatum est) con-

P R A E F A T I O.

diderit, eiq; ratiocinandi vim in capite, suis quoq;  
certis membris ornato,& in circulum omnibus par-  
tibus absoluto, contulerit : quicquid ab homine  
procreatur, & à communi hominis forma recedit,  
monstrosum dici solet.

Afferit quidem luculentissimus Scriptor Gellius,  
ex veteribus Græcis Historicis, Aristea Proconnesio,  
& Isigono Niceensi, & Ctesia, & Onesicroto, & Po-  
lystephano, & Hegesia, in quibusdam mundi parti-  
bus, ultra extre mos Scythiae montes, & Indorum  
orbem, homines communiter monstroso s nasci : ex  
quo loco Munsterus & alii Cosmographi, fragmenta  
sua de monstrosis hominibus collegisse videntur:  
Sed illi homines monstrosi ideo inter se se nihil por-  
tendere mali perhibentur, quia in locis desertis & ab-  
strusis more bestiarum orti, & successivè propagati,  
humanam corporis formam habent, in quibusdam  
partibus mutilatam ; non secus, ac omnes Simii ho-  
minum figuris proxima animalia sunt : omnes ve-  
rò Lupi, canes sylvestres esse putantur.

Econtrà verò in Climate Mundi, quod Europam  
omnium partium totius orbis excultissimam con-  
tinet, ut rariùs conspecta sunt hominum monstra:  
sic quoties in lucem edita sunt, semper aliquid futu-  
ri præmonstrarunt.

Cæ-

P R A E F A T I O.

Cælius lib. 24. cap. 3. Antiquarum lectionum, refert, Imperante Constantio editum esse infantem ore gemino, dentibus binis, & barba, oculis quatuor, auriculis duabus, sed brevissimis. Hic partus Rem publicam in statum deformem reclinaturam omnino portendebat, ut autor est Marcellinus.

D. Augustinus lib. 16. de Civitate Dei, cap. 8. scribit, sua memoria in Oriente hominem superioribus membris duplicem natum fuisse, inferioribus simplicem: hoc est, habuisse duo capita, duo pectora, quatuor manus, ventrem autem unum, & duos pedes.

Sabellicus lib. 7. Enn. 9. narrat, sub Pontificatu Martini quarti, natum esse Romæ ex fœmina illustri puerum villosum, & in speciem Vrsi unguiculis armatum.

Nolo plura antiquiora Monstrorum exempla commemorare: nunc unum atq; alterū monstrum, mea & multorum aliorum memoria conspectum, proferam.

Vinariæ, ubi Aula est Illustrissimorum Ducum Saxoniarum, hæredum ex ea linea descendantium, quæ genitorem habuit, olim Electorem Saxoniarum Ioannem Fridericum, visum fuit circa annum 1565.

P R A E F A T I O.

hominis monstrum, capite canino, erectis brachiis,  
pedibus anserinis, cuius descriptio his sequentibus,  
incerti autoris, versibus, tunc fuit expressa.

*Monstrosos hominum mores, monstrosa recentis*

*Monstri non dubiis monstrat imago notis.*

*Turpe caput canis est: rabie sic cuncta canina,*

*Latratuq[ue] ferox sacra Sophista replet.*

*Et calo assurgens, quasi v[ictor], brachia jactat:*

*Et manus ostentans, hoc mea fecit, ait.*

*Corporis interea natura lege tegenda,*

*Detegit extinctus turpia membra pudor.*

*Ut vafra se vulgo pietatis nomine, vendens,*

*Ansa patret quodvis spurca libido scelus.*

*Anseris incessu sic ultima claudicat atas,*

*Ventre voluptati dedita tota gula.*

*Restat ut h[ec] tandem configens monstra sagittis,*

*Germanos doceat Turca sequenda sequi.*

Quid illud Monstrū monstrārit, ex duplice per-  
turbatione, quæ tunc Ecclesiasticum & Polyticum  
statum distrahebat, manifestum fuit. Ab una enim  
parte, Flacii Illyrici Schisma ex Ienensi Academia  
recenter tunc instituta, Anno nimirum 1558. con-  
tra vicinam VVitebergensem Academiam, ex qua  
prodierat, eiq[ue]; adhærentes Ecclesias, motis quibus-  
dam

P R A E F A T I O.

dam novis & monstrosis, de Substantiali peccato, & aliis opinionibus, maxima certaminum tela spar-gebat.

Ab altera verò parte, factio Grumbachiana, ut privatas quasdam suas injurias, in Pontificiis Episcopatus Herbipolensis, commodius ulcisci posset, & ut tacitis simultatum flammis, quæ post captum à Cæsare Carolo Quinto Electorem Ioannem Fridericum, & Electoratum ab ejusdem familia in aliam translatum, inter duas domos Saxonicas ardebant, faces subjiceret, optimo Principe Ioannis illius Friderici Electoris filio consiliis seditionis seducto, totum ferè imperii Germanici statum pervertere conabatur. Verùm hæc perturbatio Polytica, Decreto Imperii lato, & facta executione per Divum Augustum Electorem Saxonie, Gotha capta, & supplicio de proscriptis Imperii sumpto, ipso autem Principe captivo Viennam Austriæ abducto, repressa & sedata est : Illa autem Ecclesiastica contentio litibus implicata remansit, & in hunc usq; diem multis in locis repullulat.

Quo Anno natum fuerit in Suburbio Civitatis Rigenis hominis monstrum, quod geminum caput, quatuor manus, & quatuor pedes, unum autem ventrem.

P R A E F A T I O.

ventrem & Ani exitum habuerat, scire exacte non possum. Satis mihi est, multos etiamnum Rigē esse & vivere, qui ejus Monstrī recentem memoriam habent, & Baptismi eidem impertiti recordantur. Quantū tamen conjectura assequi possum, editum in lucem fuisse illud Monstrū arbitror sub id tempus, quo Livonia in plures partes & Dominos misérabili laniena fuit distracta.

Simile huic aliud Monstrum Lutetia Parisiorum Anno 1573. regnante Carolo Nono progenuit: quo tempore tanti fuerunt in Gallia dissidentium de Religionē tumultus, ut parum absuerit, quin Regnum illud in duos Reges fuisse divisum. De eo Monstro, hoc sequens Theodori Bezæ Epigramma, passim circumferebatur:

Ventre uno, gemina monstrū cervice tremendum,  
Quatuor manibus, quatuor pedibus:  
Carole, vera tui est Regni, (ne sperne) figura:  
Sunt ea venturi prævia signa mali.  
Unus alit venter geminum caput: Unica Reges  
Gallia, ni sapias, est habitura duos.

Plura exempla commemorare superfluū est. Hæc pauca verò, olim à me, cùm in Academiis & Aula Cæsarea Austriaca vixisse, inter sylvas rerum memoria-

P R A E F A T I O.

morabilium, more Noctium Atticarum Gellii, re-lata, ideo recensere volui, ut ostendam monstra om-nibus seculis apud prudentiores in accurata observa-tione fuisse. Deinde, ut restringam illorum opinio-nem, qui discrimen in monstroso partu nullum fa-ciunt: sed promiscue statuunt culpam esse naturæ, vel ob defectum, vel excessum seminis in procreati-one, vel ob imaginationem aliquam, ex visu aliquo horribili oblato, in grida muliere factam.

Talia enim etsi sœpè vera sint: vera tamen semper esse non possunt. Certior autem illorum opinio est, & firmioribus argumentis nititur, qui occulto Dei consilio naturam interdum effingere, & quasi præfigurare aliquid, quod cum præsenti temporis statu conveniat, asserunt: quemadmodum in illis quæ recensui exemplis, experientia & exitus veritatem subsecutam ob oculos omnibus posuerunt.

His præmissis, accedo ad monstrosum fœtum, quem die 18. Augusti Anno nuper elapso, 1595. Rustici cuiusdam Vxor in districtu Alche-radensi Livoniæ Ultra Dunensis enixa est, quiq; vi-xit usq; ad diem octavam Septembbris ejusdem anni. Eum ipse oculis meis coram aspexi, & quidem ita, ut quo melius dispositionem oris internam perspi-

B

cere

P R A E F A T I O.

cere possem, os ipsum aperiri jusserim. Interrogata miserrima Mater, an perterrita fuisset aliquo bruto animali, vel horribilem aliquam formam gravida aspexit, eamq; imaginatione ad animum sibi revocasset, constantissimè affirmavit, sibi nihil omnino tale quidquam obtigisse. Nec verò ego solus hanc miserabilem & monstrosam natæ puellæ problem aspexi : sed etiam Cives novi oppidi, quod ab Illustrissimo Principe Friderico in Livonia, Churlandia & Semigalia Duce ad Dunam conditur, unâ cum Reuerendo & erudito viro Hermanno Viccio, Ecclesiæ ejusdem oppidi Pastore vigilantissimo, qui Baptismi causa mileri parentes consuluerant, idem monstruum viderunt : brevem etiam ejus descriptiōnem in publicas oppidi crescentis tabulas, ut ad posteritatem memoria extaret, referri curarunt. Quos paucos, (omissis pluribus) velut Testes illorū causa nomino, qui de tali monstrosa natæ puellæ forma dubitare fortassis possent.

Vixit, nullo unquam ploratu edito, sed solis continuis suspiriis tractis, hebdomadas tres, quibus elapsis, expiravit.

Caput fuit justa rotunditate : in fronte supra oculos supercilia nulla ; sub fronte nulli oculi : nullæ palpe-

## P R A E F A T I O.

palpebræ : sed cutis continua à vertice capitis per frontem, oculos, & genas. In loco dextræ oculi apparebat globus sese intus sub cute movens, & quasi cernere cupiens. Ex parte verò sinistri oculi, globus nullus oculi apparebat, sed cum osse generū, os frontis concretum videbatur. Nasus nullus : nares nullæ : Auriculæ brevissimæ : superius oris labrum circa locum narium revulsum, dilaceratumq; fuit, & foramen præbebat. Supra hoc foramen trifoliū quodam rubrum carneum, quasi ex cribro nasi pendulum erat, seq; subinde tractu anhelitu & suspiriis movebat. Ab utraq; parte superioris Mandibulæ, in parte anteriori interruptæ, dens extabat. Lingua in duas partes divisa, & immobilis. Palatum interius fissum erat : & videbatur hiatus in Testam capitis quasi vacuam sese extendere : per palatum quedam quasi sanguinea trabs. Digihi in ambabus manibus truncati, & concreti, parvis unguiculis prominentibus : similiter in pedibus. Reliquum corpus in hac monstrosa puella suam habebat solitam formam.

Hunc horribilem monstrorum partum cùm vidi sem, venit mihi in mentem cogitare, de varia corporum in novas formas transmutatione, quæ in libris Metamorphoseon Ovidii continentur : qui libri

maximam Philosophiæ partem occulte in se sepultā  
habent.

Vt enim omnes humani corporis & aliorū cor-  
porum partes, ad certum finem sunt à Deo condi-  
ta: Ita eadem vel in toto, vel in parte mutatæ, con-  
trarium habent respectum, & doctrinam occultam.

Ad hunc modum transmutatio illa Niobes in  
Saxum, quæ apud Ovidium extat, simulachrum est  
pœnæ in eos, qui in fortuna sua prospere, nimis  
sunt obdurato animo & superbo: quali fuit Niobe:  
quæ rebus omnibus felicissimè abundans, accepto-  
rum à Diis beneficiorum immemor, suis viribus o-  
mnia tribuens, ipsos Deos irridere ausa fuit: & ideo  
uno die omnibus fortunæ suæ ornamenti exuta, ob  
animi sui superbiam & duriciem in Saxum fingitur  
esse conversa. Cumq; tota Ethnicorum Religio vi-  
deatur fuisse obscurata quædam antiquissima & pri-  
ma illa Christiana Religio, quæ in Sacrificiis & di-  
versis cultibus constabat: apparet Ethnicos, vel li-  
bros Mosis legisse, vel multa ex iis per traditionem  
corrupto sensu audivisse. Nam locus iste de Niobe  
in Saxum mutata, videtur respicere locum illum in  
Genesi, ubi uxor Lothi cum marito suo & suis pro-  
pinquis, ē flammis, quibus Deus Sodomam perdi-  
dit,

dit, liberata, & extra civitatem Angelorum comita-  
tu educta, cùm contra eorundem Angelorum præ-  
ceptum, obstinatiore animo ausa fuisse et oculos suos  
versus Sodomam retrò convertere, in statuam Salis  
est conversa. Talia exempla plura, de indigesta mun-  
di mole, quam Chaos vocabant, in ordinem reda-  
cta, sub qua series creati à Deo mundi expressa vide-  
tur: de Nave Deucalionis, & Pyrrhæ, per quam Ar-  
ca Nohæ adumbratur; & aliis multis, commemo-  
rari possent. Hæc obiter tantum aspergere volui, ut  
fidem faciam, maximam doctrinam, imò omnia  
ferè Philosophorum dogmata, sub fabulosis integu-  
mentis, quæ neq; à mediocriter doctis secerni sæpè  
possunt, esse occultata.

Cùm igitur præsens hic casus de monstrosa puel-  
la nuper nata, ad eam Philosophiæ partem pertineat,  
quæ de rebus naturalibus & non naturalibus agit, &  
simul respicere videatur doctrinam moralem, & re-  
rum antè actarum experientiam, tribus his quasi  
fundamentis, Ethicis, Physicis, & Historicis innixus,  
monstrosum illum partum Carmine heroico de-  
scripsi. Placuit hoc scribendi genus in hoc ocio meo,  
quo cessantibus negotiis abundo, duas ob causas,  
tum quòd in ejusmodi materia rariore, major insit

## P R A E F A T I O.

Carmini, quām solutæ legibus orationi, gratia: tum quōd versus, (qui nihil aliud sunt quām apta quædam verborum structura, ad sonum auribus gratum accommodata) faciliūs memoria comprehendantur.

Porrò, quemadmodum olim primi AEgyptii Sacerdotes, omnium habiti sapientissimi, (inter quos Moses ipse, ut sacræ literæ testantur, educatus est) omnem divinam & humanam disciplinam, sub animalium & aliarum rerū figuris repræsentarunt: ob mysticum autem rerum sacrarum, & naturæ obscurioris intellectum, qui penes solos Sacerdotes erat, magna fuit inter profanos homines, sive rerum arcanarum ignaros, interpretationis diversitas: quemadmodum etiam omnes Typi & figuræ, tam ex sacris quām profanis literis petitæ, in varios sensus trahi possunt; & ut unus interpres Typorum & figurarum alio invenitur felicior: Ita fieri potest, ut ego in hoc meo de monstroso partu discursu, tanquam in re obscura, omnium judicio non sim satisfactus. Quia tamen in rebus obscuris & miraculosis, ingenii humani sagacitas occulta naturæ, & abditas rerum causas scrutari solet, spero me apud multos, qui acriore reperientur ingenio, quām meum est, gratiā hoc nomine initurum, quōd prior reliquis me sequutur.

ris,

P R A E F A T I O.

ris, & exemplum meum imitaturis, viam quasi stravi, ut Naturæ arcana in hac materia penitus indagare conentur.

Hunc igitur laborem meum vobis, Illust. Magnifici & Generosi Domini, in hac Provincia Livonia Præsides & Capitanei, nec non universi trium nationum Nobiles, cum & reliqui Spectabiles, Nobiles, Clarissimi, & Prudentissimi viri, qui in Civitatum gubernaculis constituti estis, inscribo: Vobis hunc Philosophicum discursum meum, ex Ethicis, Physicis & Historicis fundamentis petitum, conjunctim omnibus dedico.

Nam cùm duo præcipua sint ornamenta cuiusvis Provinciæ, Nobilitas, & Civitates: has duas societatum humanarū præcipuas columnas, non immерito conjunctas optarem. Ambæ profecto suis utrinq; libertatibus & prærogativis, in mutua animorum conjunctione gaudentes, magnum afferre possunt Provinciæ decus & robur. Ambabus igitur omnia fortunæ incrementa ex animo precor, & iisdem hanc lucubrationem meam offero.

Suppedavit hanc scribendi materiam rerum omnium parent Natura: quæ per monstrosam natæ nuper puellæ formam, & per membra (in corpore alio-

alioquin pleno) quædam capta, quædam truncata, alia lacerata, alia divisa, deformem quendam rerum humanarum statum, qui ex discordantibus animis confusus esse solet, arguere, & simul contrariū huic deformitati probare occulte videtur; magnam nimirum pulchritudinem esse in membrorum conformi concordia. Ut enim eximium decus est corporis humani, quando homo omnia membra habet suis naturalibus locis benè disposita, integra, & in sua solita forma secum concordantia: & ut ex Medicorum doctrina constat, plenam hominis valetudinē & vires solidas, tam diu durare, quam diu quatuor humores præcipui, in corpore hominis suum retinent æquabile temperamentum: Sic ubi membra aliqua in homine mutilata sunt, decus omne corporis perit: quamprimum etiam unus saltē ex quatuor illis humoribus, vel in defectu, vel in excessu peccat, valetudinem hominis, ob discordantes inter se & mutilatos humores, labefactari necesse est.

Similis est Ecclesiastici & Polytici status ratio: uterq; enim suo constat corpore, & suis membris.

Monstrare igitur monstrū hoc per lacera sua organa & membra existimo, nihil in rebus humanis tam deforme & impeditum esse, quam quod discor-  
dia

P R A E F A T I O.

dia distractum est : Nullum autem magis propagabile bonū esse, neq; tam diuturnum in societate hominum, quam quod concordia nititur. Faciat omnipotens Deus, qui omnia bene fecit, & facit, ut omnium in hac Provincia animi inter se amore mutuo, & concordia coalescant. Quæ duo si erunt, facile stabili poterit Iusticia, & ordo : quarum altera suum cuiq; tribuet : alter omnes actiones humanas bene dispositas diu conservabit.

Hæc ego quidem toto pectore opto : Vos autem Illust. Magn. & Generosi Domini, in hac Provincia Livonia Præsides, Capitanei, & Nobiles, Vesta autoritate, Vestro consilio, conjunctisq; viribus in eam curam incumbere potestis, ut id quod omnes uno ore optant, vel optare debent, tandem ad bonum finem deducatur.

Non defuit huic rei paterna Reg. Majestatis, Regni, & communis Reipub. cura : non defuit ordinatio quædam, ad conservandam in hac Provincia societatem, ex communi jure gentium instituta. Sed quod illa effectum suum consequi non potuerit, obstat, & adhuc obstat Gordius quidam nodus, in hunc usq; diem nondum resolutus. Ego sane in hoc incerto rerum statu operam meam, quamvis exiguum,

C

prom-

P R A E F A T I O.

alioquin pleno) quædam capta, quædam truncata,  
alia lacerata, alia divisa, deformem quendam rerum  
humanarum statum, qui ex discordantibus animis  
confusus esse solet, arguere, & simul contrariū huic  
deformitati probare occulte videtur; magnam ni-  
mirum pulchritudinem esse in membrorum con-  
formi concordia. Ut enim eximium decus est cor-  
poris humani, quando homo omnia membra habet  
suis naturalibus locis benè disposita, integra, & in  
sua solita forma secum concordantia: & ut ex Me-  
dicorum doctrina constat, plenam hominis valetu-  
dinē & vires solidas, tam diu durare, quam diu qua-  
tuor humores præcipui, in corpore hominis suum  
retinent æquabile temperamentum: Sic ubi mem-  
bra aliqua in homine mutilata sunt, decus omne  
corporis perit: quamprimum etiam unus saltē ex  
quatuor illis humoribus, vel in defectu, vel in excessu  
peccat, valetudinem hominis, ob discordantes in-  
ter se & mutilatos humores, labefactari necesse est.

Similis est Ecclesiastici & Polytici status ratio: u-  
terq; enim suo constat corpore, & suis membris.

Monstrare igitur monstrū hoc per lacera sua or-  
gana & membra existimo, nihil in rebus humanis  
tam deformē & impeditum esse, quam quod discor-  
dia

P R A E F A T I O.

dia distractum est : Nullum autem magis propagabile bonū esse, neq; tam diuturnum in societate hominum, quām quod concordia nititur. Faciat omnipotens Deus, qui omnia benē fecit, & facit, ut omnium in hac Provincia animi inter se amore mutuo, & concordia coalescant. Quæ duo si erunt, facile stabili poterit Iusticia, & ordo : quarum altera suum cuiq; tribuet : alter omnes actiones humanas benē dispositas diu conservabit.

Hæc ego quidem toto pectore opto : Vos autem Illust. Magn. & Generosi Domini, in hac Provincia Livonia Præsides, Capitanei, & Nobiles, Vestra autoritate, Vestro consilio, conjunctisq; viribus in eam curam incumbere potestis, ut id quod omnes uno ore optant, vel optare debent, tandem ad bonum finem ducatur.

Non defuit huic rei paterna Reg. Majestatis, Regni, & communis Reipub. cura : non defuit ordinatio quedam, ad conservandam in hac Provincia societatem, ex communi jure gentium instituta. Sed quod illa effectum suum consequi non potuerit, obstat, & adhuc obstat Gordius quidā nodus, in hunc usq; diem nondum resolutus. Ego sané in hoc incerto rerum statu operam meam, quamvis exigua,

C

prom-

P R A E F A T I O.

promptissimam tamen & spontaneam huic Provin-  
ciæ, vel potius Vobis ipsis (ut Testes mihi esse pote-  
stis) inde usq; à tempore recuperatæ ab hoste Livo-  
niæ, in diversis Reipub. negotiis navavi : & adhuc,  
quantum occasiones & vires meæ permittunt, na-  
vare non desino. *Quid si tantum temporis spacium,*  
*tredecim nimirum annorum, in certiore & meliore,*  
*quam hucusq; fuit, statu, consumptum fuisset, ma-*  
*jora mihi in hac ætate mea graviore attulisset solatia.*

Nunc dum expectando ferè consenui : solus me  
consolator animus seipso contentus, & quos olim  
metuebam, cani capilli & villi. Si tamen intellexero  
operam meā spontaneam, Vobis fuisse hucusq; gra-  
tam, Vosq; mihi benè cupere, & benè velle, de hac  
Vestra in me benevolentia plurimum mihi gratula-  
bor. Commendo me clementiæ & favori Vestro :  
Vobisq; vitam longam, & omnia prospera à Deo  
precor. Rigæ Idib. Ian. Anno 1596.

*III. Mag. & Gen. DD. VV.*

*Addictissimus*  
*Servitor,*

Daniel Her-  
man. Boruss.

DE MONSTROSO PARTV, ET  
de rebus quæ contra ordinem naturæ fiunt,

DISCVRSVS

Ethicus, Physicus, Historicus.



UT Mundo immundo impendent immitias  
Peccatis accita, & dio numine lafo: (Fata,  
Aut Deus, ut discant homines resipiscere tandem,  
Præmonet, obq; oculos exempla horrentia ponit.  
Ecce sibi Natura suam formamq;, decusq;  
Detrahit, & toto truncatis corpore membris,  
Humana turpat cunctas in imagine partes.

Diruta quæ jacet Arx Livonidos Ascheras oræ,  
Non procul hinc distat rasa quadam rustica: in illa  
Nata est in lucem, (atq; utinam non nata fuisset)  
Partu infelici proles monstrosa puellæ.

Namq; caput, rationi in quo sedemq;, locumq;  
Affixit Deus, à falso ut discernere verum

Poßit homo, totum hoc toto mutilatur in orbe,  
Horribili forma. Frons plana ubi tangit ocellos,  
Nulla supercilia hic apparent, palpebra nulla:  
Ambo oculi sed enim concreta pelle teguntur,  
Non secus atq; solent nasci sine lumine Talpæ.  
Dexter ubi est oculus, cernendi magna cupido

Descriptio  
monstroſi,  
partus.

Caput horri-  
bili forma.

Supercilia  
nulla: nulla  
Palpebre.  
Nulli oculi.

Locus dextræ

D I S C U R S V S,

oculi.

*Intus agi visa est: pellis concreta sed obstat,*

Locus sinistri  
oculi.

*Pupilla, ex oculi medio, ne mittat in auras*

*Visivos radios. Vestigia nulla sinistri*

*Luminis apparent: sed frons contermina malis.*

Auricula mi-  
nime.

*Sic parva auricula, ut possint vix esse minores.*

Nasus nullius.

*At cribrum nullum, non ulla cacumina nisi:*

Foramen in  
loco ubi nares.

*Parte ima solùm, quà nares sunt, ibi hiatus*

Supra fora-  
men Trifoli-  
um carneum.

*Intrat in os imum magnus, vastumq; foramen.*

Lingua divi-  
sa & affixa.

*Inde triplex folium veluti supra hocce foramen,*

*Nasi pro more appensum volat inconsueti.*

Dens ab utraq;

*Lingua hæret medio divisa, & limite tanquam*

parte Mandibule.

*Distincta in geminas partes, affixaq; ad imam*

*Gingivæ carnem. Supremi intusq; labelli*

Palatum in-  
teriorum fissum.

*Non est contiguus nexus, qui jungat utramq;*

Hiatus in  
Testam capitis

*Mandibulam, sed enim veluti dens extat utraq;*

vacuum.

*Mandibula intersecta: ex cuius fine, vel ossis,*

Sanguinea  
trabs per pa-  
latum.

*Vel dentis magni cernuntur signa futuri.*

Nullus plo-  
ratus.

*Concavus interno fornix ubi inesse palato*

Suspiria con-  
tinua.

*Suevit, hic est fissus, vacui & quasi sola cerebri*

*Tecta offert, quadamq; ipsum transire palatum*

*Intus sanguineo trabs visa est tincta colore.*

*Editur huic proli nullus sonus, aut ploratus,*

*Sed saltem ex imo suspiria pectore tracta,*

*Tristis & informi deductus anhelitus ore.*

• Mas.

Maternas nequit hæc proles monstrosa papillas  
Sugere, nutritur peregrino at lacte petito.

Plus solito crescit more: Omnia membra videntur  
Augeri citius: manus attamen utraq; cunctos  
Concretos digitos habet, una pelleq; tectos,  
Et saltem unguiculi digitorum in fine videntur,  
Ordine concreti, quos fas diducere non est.

Ipsa pedum amborum talis quoq; forma videtur,  
Glutine ceu digitii compacte, & pelle ligati.

Hoc plasma est prolis mostrosa: hæc tristis imago:  
Quam corā aspexi, hisq; oculis membra omnia vidi,  
Quamq; novi Oppiduli (faxit Deus, Urbs id ut olim  
(Curetum fiat) mirata est civica turba:  
Res & in ambiguo fuit, an Baptismate tinge  
Debuit hoc monstrum. Tandem genitoribus hujus  
Injunctum est miseris, ne vitam abrumpere tentent,  
At foceant potius, dum fata id vivere linquunt.

Vos arcanarum quibus est abscondita rerum  
Sensa datum nosse, hæc animis evolvite vestris.  
Non sumo officium mihi nunc interpretis amplum,  
Pauca tamen dicam: venerandis plura relinquam  
Discutienda viris, sacri custodia Templi,  
Et quibus est miseri concreta cura popelli.

Viximus extra omnem morem, rationis egentes, Polytici status:

Nulla suetio  
materni lactis.

Magnum  
membrorum in  
brevi tempore  
incrementum.

Digitii ma-  
nuum concreti

Digitii pedum  
concreti.

Discursus Ethici  
civis, sive My-  
thologia mon-  
strofi partus.

forma. Consiliiq; inopes, & jure, & lege carentes:  
 Inde intus vacuum caput est: extrinsecus autem  
 Formam habet horribilem. Cum nolint recta videre  
 Mortales miseri, proniq; in dextra semper,  
 Rectum oculum Natura tegit cute, quamlibet intus  
 Salvū atq; incolumem, & cupientē cernere in auras:  
 Luminis at laevi vestigia nulla supersunt.  
 Dum datur, & licitum est, conemur tollere pellem  
 Obducentem oculum dextrum, intus seq; moventem,  
 Ne miseri laeo jampridem lumine cassi,  
 In densa captæ mentis caligine, simus,  
 Et reliqua usura privemur lucis & aurae.  
 Audimus quia nil, monitis obstatamus & equis,  
 Monstroſa proli auriculas Natura pusillas  
 Astrictasq; dedit. Patulas habeamus ut aures  
 Oremus cuncti, & numen cælestis prece mur.  
 Non frustra desunt nares: Odor ille suavis,  
 Quo mentes hominum unanimes fragrare deceret,  
 Concordi studio pietatis, sparsus in auras  
 Talis odor vacuas abit, at discordia ubiq; est.  
 Naribus hinc ergo exesis, labroq; revulso,  
 Antrum ingens patet, & lacero lis extat in ore.  
 Hoc supra folii triplicati carne a massa  
 Pendula, seq; movens huc atq; huc, ludicra quedam  
 Sensa

DE MONSTR. PART V.

Sensa hominum triplici ceu spe pendentia taxat;  
Pendula spe sed enim dubia est: huc fluctuat, atq; huc.  
Inde duas lingua in partes divisa, sed ipsi  
Gingiva affixa, & non mobilis, ut solet esse,  
Nescio quid tecti notat: aut vinclo ora ligata,  
Glutinis arcani: aut nolentem cedere mentem  
Sede spei à fixa. Sed linguam limes ut ipsam  
Transit, & affigit Gingiva: Copula lingua  
Haud secus unita, in geminas secta omnia partes  
Dividet, & Fato fieri benè talia dicet,  
Spe nisi vincatur triplici. Dens qui stat utraq;  
Mandibula in rupta, duo concurrentia signat  
Crimina: Avaricia est unum: Invidieq; secundum:  
Hac nequit alterius sortem perferre, secundam,  
Vixq; tenet lachrymas, cùm nil lachrymabile cernit;  
Illa autem, juncta huic, expleri dum nequit, ad se  
Obvia quaq; rapit; dum non habet obvia, tandem  
Se morsu interno absunit. Suspiria crebra  
Quòd trahit hic partus monstrosus, fortè futuros.  
Ingemit eventus: non fugitq; ubera matris,  
Supremam ob truncā Gingivam, & vincula lingue,  
Lac ingestum illi peregrinum alimenta ministrat.  
Christe omen triste hoc, talemq; avertito casum,  
Ne patriis esca patria careamus in oris.

Quid

Quid digitii concreti uno omnes ordine? Quamvis.  
 Sanguine concretus populus sit: Si tamen Index  
 E digitis, digitiq; alii cuncti ordine, ab una  
 Contigua pelle obducti sint, atq; ligati,  
 Non bene consilium quisquam monstrabit, iterq;  
 Nec tutò incedet, nec certus stabit, T'ibit  
 Planta pedum, cuius digitos diducere nescit.  
 Querere non opus est, num sacra fontis in unda  
 Debeat aspergi monstrosa prolis imago,  
 Questio jamdudum talis discussa videtur,  
 Sacrificiq; vetant illos Baptismate tingi,  
 Tetra quibus forma humanam formam exuit omnem:  
 Utpote si genitus capite est quis forte canino,  
 Aut alia specie, brutis animalibus apta:  
 Contra autē quando est hominis structura, et imago,  
 Arbitrio Fati mutilata at pleraq; membra,  
 Non vetat hæc ratio sacrato fonte lavari,  
 Quod quasi spe quadam expectant meliora parentes.  
 Extremum haud queras: Cur hoc Natura pararit  
 Fæmineo in sexu monstrum? Matre edimur omnes:  
 Patriaq; est cunctis Mater: miserabilis ergo  
 Effigies patriæ, sexu patet in muliebri.  
 Hic etiam status est, hæc Religionis imago:  
 Capti oculis, lingua scissi, lacero ore, labrisq;

Ecclesiastici  
 status forma.

Sapè

DE MONSTR. PART V.

Sæpè odio alterius, male suadaq; ambitione,  
Ex aliis alia inventis inventa novamus.  
Pace ò Cygnæi vestra, quos semper amatos,  
Semper honoratos (pietas ceu poscit) habebo,  
Sit mihi fas casus actarum evolvere rerum.  
Vestra puer teneris sum castra secutus ab annis,  
Vos sequor, at q; sequar, mihi dum per fata licebit,  
Liber homo at cùm sim, liceat mihi libera fari.

Nonne ubi Religio à Romana sede recessit,  
Romani Imperii assensu, Procerumq;, Ducumq;,  
Facta fuit fidei forma, Augustana vocata,  
Augustæ siquidem sub te, pie Carole Quinte,  
Concessa est illis, qui deseruere Papatum.  
Religio binis tunc stabat partibus: Una  
Pontificis fuerat: Sed erat dicta altera Cygni.

Quam longo à forma hac disceditur intervallo?  
Quamq; Augustana est fidei nunc discolor usus?  
Imo tui, Cygni, ngenii monumenta premuntur.  
Successere alii Illyricis regionibus orti,  
Ingrati Cuculi, & Galli, Sturniq;, loquaces,  
Tum, qui fetida habent male olentis nomina campi,  
Quiq; dedere ansam sparsa per Regna Chymæ,  
Quam pius extinxit validis Orechovius armis,  
Russia quo claro quondam gaudebat alumno.

D

Quiq;

Sub Carolo  
Quinto Cæ-  
sare, duplex  
tantum Reli-  
gio fuit ad-  
missa.

Post Augusta-  
nae fidei Reli-  
gionem, mul-  
tiplex libertas  
Religionis.

Stanislaus  
Orzechovski  
Ruthenus, scri-  
psit librū con-  
tra Stancarum,

D I S C U R S V S,

cui Titulus;  
Partus Chy-  
mere.  
Zwingiani.

Quiq; Uros fortes inclusos rupibus altis,  
Urorum & socios antiquo fædere junctos,  
Credere dum cogunt secum omnes, armaq; sumunt,  
Ipsi acie in prima stantes primi occubueré.  
Tum quidam ignivoma cudentes arma sub Aetna,  
Pluribus ut pugnant, quam pugnare vère priores,  
Quosq; referre mora est, & quos memorare molestum.

Theologorum  
certamina.

Post tua fata tui comites hi, Cygne, relikti,  
Officii immemores te contra brachia tollunt,  
Mutuaq; ingeminant emissis prælia libris.  
Sed quia concretis digitis calatum male stringunt,  
(Monstrosa ut prolis truncata expressit imago)  
Haud inferre ictus possunt, quibus occidat hostis,  
Nec bene iter monstrant, nec cernunt qua via vincat.  
Credo equidem si nunc Academica Secta vetusta  
Viveret, in tanta doctorum lite virorum,  
Dogma suū, In Mundo cuncta esse incerta, probaret.  
Vos & Imperii Proceres, Vos cogite tandem  
Concilio doctos, concordesq; esse jubete:  
Ni faciant, trahet altam res Germana ruinam,  
In sua quando movet conversas viscera rixas.  
Si verbosarum discors concordia Legum  
Dicitur, & concordatur discordia Legum:  
Cur non Scriptura concors discordia Sacra

Redi

DE MONSTR. PART V.

Redditur? Et Christo sub Judice concordatur?  
Fata vetant: prohibet rerum confusus Et' ordo,  
Cogere Concilium: retrahit sua quemq; sequela.  
Quin Et' paulatim doctorum copia defit,  
Quando Scholis, doctisq; viris alimenta negantur,  
Exigua aut dantur, non ut vita exigit usus.

Namq; Scholis dederat que quondam larga vetustas, scholarum  
Hec variis divisa modis tenet ordo profanus. ruina.

Inde Schola intereunt, doctorum hinc deficit agmen:  
Defectum hinc error subit: erroremq; ruina.

Altera sic tandem pars vires sumet eundo,  
Palantesq; animis, distractosq; undiq; membris,  
Qui (velut hoc Monstrū) lacero sunt ore, labrisq;  
Seq; ipsos perimunt, rixis per mutua factis  
Incertos, Et certantes discriminē, nullo,  
Indoctosq; alios, alios rerum omnium egenos,  
Ante oculos ponens consensum, præmiaq; addens,  
Rursus in antiquum paulatim impellet Ovile.

Hac ego: plura alii forsan, majoraq; in isto  
Invenient Monstro. Satis est mihi, pauca notaſſe.

Nunc agite, Et' vestro Partū hunc exponite sensu, Discursus Phy-  
Quicunq; ingenio, ingenua sive arte, valetis, ficius de rebus  
Et rerum abstrusas causas, secretaq; multa naturalibus &  
Abdita in occulto naturæ nostis, adeſte, non naturali-  
bus.

DISCVRSVS.

Occultamq; hujus monstri perquirite causam.

In nova mutatas meministis corpora formas.

Ceu sunt mutatae ter quinq; volumina forma,

Mirum opus, Et rerum variarum indagine plenum.

Cur Natura suam mutabit sapè figuram?

Dicite? cur Niobe in saxum mutata sit olim?

Inq; homines tunc versa etiam durissima Saxa?

Curq; Lupi speciem induerit Rex ille Lycaon?

At post Diluvium ingentem Pythona creatum,

Straverit innumeris cur Delius ipse sagittis?

Omina ex rebus, que præter naturæ cursum sunt, vel in celo, vel in hominibus accidunt: Et sunt, vel bona, vel mala.

Fontibus è Sophia sunt hac deprompta, notantq;

Propria Naturæ. Non naturalis at ordo

Gignere qua solet interdum, Et producere in auras,

Hac signant, Et habent eventus omina certi:

Æthereis sive illa plagis videantur in altis,

Sive homines inter diverso sidere natos,

Suntq; ea vel lati, vel tristis nuncia Fati.

Sic Stella illa fuit celo non condita in alto,

Orbis ab exortu, non hac erratica Stella,

Fixaneq; hac fuerat, sed Fati numine missa,

Quæ nati Reges Christi ad cunabula duxit,

Signavitq; viam, peregrinis præviaq; ivit:

Omen erat faustum humana Stella illa salutis,

Nulli visa prius, neq; post apparuit ulli.

Sic

In Metamor-  
phosi corporū  
doctrina oc-  
cultæ.

Vide Natalem  
Comitem in  
Mythologiis.

DE MONSTR. PART V.

Sic Luna oppositu in Solis cùm plena videtur,  
 Non facit Ecclipsis Solis. Conjunctio tantum,  
 Quando inter Terram & Solem Luna extat, eodem  
 Nodo dependens, Phœbæum lumen opacat.  
 Ergo quòd expletum complerat Delia ut orbem,  
 Solis in oppositu plena exitit, aureus autem  
 Sol fuit obscurus crucifixi tempore Christi,  
 Præter naturam fuit obscuratio talis:  
 Hæc tamen in letho tristri dedit omina lata.  
 Victa ubi Mors Morte est, Mortemq; voraverat ut

Sifas humana est caelestibus equiparare, (Mors. Omina in ho-  
 Et si facta licet veris componere rebus, minibus bona.  
 Quandoquidem occulte factis veracia subsunt,  
 Nec frustra heroas olim veneranda vetustas  
 Patre Deo genitos, homine ast ex Matre putavit:  
 Sic præter rerum seriem quoq; parvulus olim,  
 In cunisq; jaccens geminos Tyrinthius Angues,  
 Obliqua invidia immisos Junonis iniquæ,  
 Compressit manibus, Jove natum seq; probavit,  
 Et puer, & plenis postquam maturuit annis.  
 Sic Scandri Begi (genitus cùm Matris ab alvo  
 Eset) erat forma ensis dextro impressa lacerto,  
 Qualem vix melius potuisset pingere Pictor,  
 Historia est testis verissima, testis Epyrus.

Ecclipsis non  
naturalis.

Omen in Her-  
cule.

Omen in Scæ-  
derBego.

D I S C V R S V S

Militis invicti hoc omen, signumq; fuisse,  
 Exitus ostendit. Non hoc pugnacior alter  
 A Mahometigenis patriam defendit Epyrum,  
 Christicolasq; omnes vicino limite junctos.  
 Victor erat semper, moriens quoq; vicerat hostem  
 Consilio, exhaustis jacuit cum viribus ager,  
 Nomine, & audito Scandri Begi hostis abibat.  
 Si duos adhuc tales tunc Europa, tulisset  
 Terra viros, ultrò Scythicas remeasset in oras  
 Turcus atrox, versisq; doleret Turcia fatis.  
 Ordine naturæ parientis talia quanquam,  
 Majora extiterint: tamen omen latum habuerunt.

At contrà è calo ut gutta cecidere, cruenta,  
 Omnia in celo mala.  
 Sanguinolenta seges per camposq; extitit, inde  
 Pluvia sanguinea: Anno  
 1547. Tristis & infausto commissa est omne pugna,  
 Captus ubi est Pacis Dux, abste, Carole Quinte,  
 Albis & Hispanis victus se subdidit armis.

Sic longi specie Flagri flagrassæ Cometa  
 1557. Visus erat quondam, totumq; arsisse per annum,  
 Omnia cum ruerent passim in Livonide terra,  
 Cum Pastore suo Crucis Ordo gesit ut arma,  
 Nobilitasq; fuit studia in contraria scissa.  
 Hinc ansam arripuit sylvis egressus ab altis  
 Moschus, & hei longos bello delevit annos,

Cade

DE MONSTR. PARTV.

Cade replens terram, & vastans cultoribus agros.  
 Hunc ita grassantem sua sed quoq; fata manebant.  
 Septimus à decimo (memini) nunc vertitur annus,  
 Solis ab exortu Borealem extensus in Arcton,  
 Arserat ut cauda atq; ingenti mole Cometa:  
 Hungaricis Stephanus tunc Rex accitus ab oris,  
 Omnia vastantem Moschum in Livonide terra  
 Repressit tandem, & victo terram abstulit hosti.  
 Omina sed linquo aetherea ex regione petita,  
 Quæ fuerant Belli & magnarum nuncia rerum.

Accedo partum monstruosum. Nonne sub ipsum  
 Tempus, ubi variam passa est Livonia cladem,  
 Aggeribus cincta inter magna Suburbia Rigæ  
 Natus erat gemino capite infans: Ventre sed uno:  
 Quatuor at. manibus, pedibusq;: Ani exitu at uno.  
 Huic simile monstrum natum, cum, Carole None,  
 Regna gubernares Gallorum: Sequana id, Urbsq;  
 Parisorum ingens aspexit. Venter ut unus  
 Sustinuit geminum caput: haud secus unica Reges  
 Terra ubi habet geminos, nulla est concordia terræ.  
 Organa naturæ namq; haud sibi congrua, signant  
 Discordem populum, & distractas undiq; mentes.

Sunt tamen & quedam quæ naturaliter extant:  
 Uno cen fama est Arimassos lumine nasci,

Cometa Anno  
 1577.  
 Bellum Regis  
 Stephani con-  
 tra Moschum  
 ab anno 1579.  
 usq; ad Annum  
 82.

Omnia in ho-  
 minibus mala.  
 Anno 1570.  
 monstrum Ri-  
 ge natum.  
 Discursus Hi-  
 storicus de  
 monstroso  
 partu.  
 Anno 1573.  
 monstrum Pa-  
 trius natum.

In quibundane  
 mundi parti-  
 bus, quidane:

communiter  
monstroſi na-  
ſcuntur.

Gellius lib. 9.  
cap. 4.

Montibus in Scythia extremis: Capite abſq; viciſſim  
Eſſe homines, oculos utrosq; in pectore, habentes,

Inversaq; pedum plantas natura quibus dat.

Quin ultra Indorum terras quadam eſſe ferantur  
Hirtæ, atq; in toto plumata corpore gentes.

Omnia at hæc illis populis communiter iſſunt:  
Rara autem inter nos que ſunt, ea monſtra putantur.

Nature mira-  
cula, in ſexus  
humani muta-  
tione.

Plin. li. 7. c. 4.  
Licinius Muti-  
anus lib. 6. E-  
pim. part. 8.

Aph. 45.

Livius lib. 4.  
Sec. Bel. Pun.  
Vide Histori-  
am Amati Lu-  
ſitani.

Consul ubi Crassus, Consul Longinus eſſent,  
Casini in puerum virgo eſt converſa repente:

Hunc deportari puerum mox iuſſit Aruspex.

Quin eſt Ares contem viſum Licinius inquit,  
Nomine Arescuſa qui ſumpto, nupſit: at inde

Barba viro crevit, duc̄ta eſt mox Uxor eidem.

Sic quoq; Marcelllo quondam ſub Consule, factus  
Vir fuerat quidam ex vera muliere, Spoleti.

Mirareſert Scriptor quoq; Lusitanus Amatus,  
Oppido in Eſguerra quandam vixiſſe puellam,

Cuius erant orti clara de stirpe parentes,

Dicta fuit (ſcriptum velut eſt) Pacheca Maria:

Attigit ut virgo hæc illos, jam nubilis, annos,

Prima quibus mittit muliebris menstrua ſexus,

virili mutatur Pro primo effluxu emiſit virgam illa virilem,

in virum. Intus inhaerentem, latitantem totq; per annos,

Cauſas hujus Tuncq; loco ſolito extantem. Sic facta fuit vir.

Qui

DE MONSTR. PARTV.

Qui sacra respersus aqua, Manuel fuit inde,  
Dictus : hic extremos exin peragra verat Indos,  
Dives opum factus, patrias remeavit ad oras,  
Conjuge cum ducta reliquumq; exegerat avum.  
Fallor? an Androgyni quondam portenta vocati,  
Inter delicias hominum quoq; sepe fuerunt.

miraculi naturales, recenset  
VVierus in li.  
de Præst. Dæm.  
4. cap. 24.  
Hermaphro-  
dyti.

Sed quid in exemplis moror omnibus omina rebus,  
Quæ naturali non sunt ordine, subsunt:  
Seu bona, seu mala sint, à fati numine missa.

Monstrū igitur patulas quod nuper venit in auras,  
Præter naturam fataliter arbitror ortum,  
Atq; aliquid secum trahere auguror insperati,  
Quod Natura diu meditata, hucusq; sub umbris  
Occuluit densis, & adhuc tegit abdita sensa.

Nec me objecta movent Physicis nitentia causis,  
Quod forte obtigerit Matri miserabile visum,  
Tunc quando prolem imperfectam gessit in alvo,  
Atq; ita tetram, animo conceptam, impressit Idæam  
Massæ utero inclusæ, & formanti jam sua membra.  
Quasita à multis, nil se vidisse ferebat  
Apectu horrendum, aut monstrosum: constituit autem  
Plenos esse omnes formatos turpiter artus.

Questio de  
imaginatione  
muliebri.

O vos quotquot in hac estis Livonide terra,  
Quosq; triplex una conjunxit natio sede:

Conclusio ad-  
monitoria de

considerando  
hoc monstro  
nato.

Tot quia proposui exempla hinc atq; inde petita,  
Congrua naturæ quoq; sint, quoq; congrua non sint,  
Omnia quoq; bona sint, mala quoq; sint omnia rerum,  
Nunquid adhuc Monstrum vel casu creditis illud,  
Vel defectu aliquo naturæ, vel genitalis  
Seminis ex culpa nuper venisse sub auras?  
Creditis huic omen nullum fatale subesse?  
Corpus erat plenū huic, multila autē singula membra,  
Nec subito extinctum est, sed vixit tertia donec  
Hebdomas elabens vita suspiria clausit.  
Vim tenet occultam hoc tempus, vimq; exeret ex se,  
Securis nobis, O nil curantibus ista:  
Dent Superi, uno omnes ut convertamur amore,  
Nostraq; mutentur meliori corpora mente,  
Namq; diu rerum nequit haec subsistere forma.  
Inspicite, hanc propiusq; animis expendite vestris:  
Inspicite, O lacero conferte per omnia Monstro.  
Duq; sonant passum hinc atq; hinc fera Bella per orbē,  
Conferte inter vos dubiis de rebus: in altas  
Lumina vestra auras attolite, dum datur, O dum  
Tempus adhuc restat: concordes esse studete  
Corpore in unito: lacera haud distractaq; membra,  
Unanimi at sensu in se concordantia habete.  
Omnina Monstro si ne vili pendite partus,

Omino

DE MONSTR. PART V.

Omini adest numen; ne temnire in omni numen;  
Consulite at nobis, nostrisq; nepotibus olim,  
Ne quod adhuc reliquū est, illud perdamus et omne,  
Sicq; futura malis pejora prioribus extent:  
More Phrygum serō post cladem tunc sapiemus.

Dii prohibete minas: Dii tristem avertite casum:  
Et triplicem unanimi conjungite pectore gentem,  
Communi ut patria, & communi habitemus arena:  
Cuncta mala in melius Diū commutare potestis.

Salvo meliore judicio.



DE MONSTR. PART V.

Sensa hominum triplici ceu spe pendentia taxat;  
Pendula spes sed enim dubia est: huc fluctuat, atq; huc.  
Inde duas lingua in partes divisa, sed ipsi  
Gingiva affixa, non mobilis, ut solet esse,  
Nescio quid tecti notat: aut vinclo ora ligata,  
Glutinis arcani: aut nolentem cedere mentem  
Sede spei à fixa. Sed linguam limes ut ipsam  
Transit, affigit Gingiva: Copula lingue  
Hand secus unitæ, in geminas secta omnia partes  
Dividet, Fato fieri benè talia dicet,  
Spe nisi vincatur triplici. Dens qui stat utraq;  
Mandibula in rupta, duo concurrentia signat  
Crimina: Avaricia est unum: Invidieq; secundum:  
Hæc nequit alterius sortem perferre, secundam,  
Vixq; tenet lachrymas, cum nil lachrymabile cernit:  
Illa autem, juncta huic, expleri dum nequit, ad se  
Obvia quaq; rapit; dum non habet obvia, tandem  
Se morsu interno absunit. Suspiria crebra,  
Quod trahit hic partus monstrosus, forte futuros.  
Ingemit eventus: non sugitq; ubera matris,  
Supremam ob truncā Gingivam, vincula lingue;  
Lac ingestum illi peregrinum alimenta ministrat.  
Christe omen triste hoc, talemq; avertito casum,  
Ne patriis esca patria careamus in oris.

Quid!